# Sermones beati Augustini super epistolas canonicas sancti Johannis

Meminit sanctitas vestra ewangelium secundum Johannem ex ordine leccionum nos
solere tractare. Sed quia nunc interposita sollempnitas sanctorum dierum
quibus certas ex ewangelio lecciones oportet in ecclesia recitari que ita sunt annue
ut alie esse non possint. ordo ille quem susceperamus necessitate pau-
lulum intermissus est non amissus. Cum autem cogitarem quid secundum hy-
laritatem presencium dierum per hanc ebdomadam vobiscum de scripturis
agerem. quantum deus donare dignatur quod possit in istis septem vel
octo diebus finiri. occurrit michi epistola beati Johannis ut cuius ewangelium
paululum intermisimus. eius epistolam tractando ab eo non recedamus
presertim quia in ipsa epistola satis dulci omnibus quibus sanum est palatum
cordis ubi sapiat panis dei. et satis memorabili in sancta ecclesia
dei maxime caritas commendatur. Locutus est multa et prope omnia
de caritate. Qui habet in se unde audiat necesse est gaudeat
ad illud quod audit. Sic enim erit illi leccio ista tamquam oleum in flam-
ma. Ubi est ubi quod nutriatur nutritur et crescit et permanet. Et
quibusdam sic esse debet tamquam flamma ad fomitem. ut si
non ardebat. accedente sermone accendatur. In quibusdam enim
nutriatur quod est in quibusdam accendatur si deest. ut omnes in una
caritate gaudeamus. Ubi autem caritas ibi pax et ubi humi-
litas ibi caritas. Iam ipsum audiamus et ad eius verba quod dominus sug-
gesserit dicamus vobis ut bene intelligatis. Loquitur: **Quod erat ab inicio quod
audivimus et quod vidimus oculis nostris etc. usque Scribo vobis filioli**

1 Quid est quod manibus contrectaverunt verbum vite nisi quia caro verbum factum est et Sermo 1.
habitavit in nobis. Hoc autem verbum quod caro factum est ut.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_386/0365